



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Capvt Tertivm. Quanta ciuitas fuerit Aureatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

Porro ex sacris quoque literis manifestum euadit, multis turres pro praesidio, alylo, & propugnaculo fuisse, ut videre licet Iudicum cap. 8. & 9. & lib. 1. Machab. cap. 5. 6. 13. 16. & lib. 2. cap. 10. T

VI. Denique in Pago Oebel, qui trans Scutarum, exiguo spatio à Nassenfelfio distat, aiunt nonnulli existare itidem veteres inscriptiones, quas ego non vidi. Templum Pagi *Meggelau*, qui est inter Nassenfelfium & Weissenkirchen, pro Ethnica structura vulgus habet. Et certè forma ab ita communi Christianis Templis vilitata forma. Secus est de Templo S. Laurentij Weissenkirchensis, in eo enim edificio nihil antiquitatis elucet.

CAPVT TERTIVM.

Quanta ciuitas fuerit Auneatum.

I VITATEM fuisse, facile concesserim; ut & hoc, euerfam cum aliis multis ab Hunnis, aliisque Romanorum hostibus; ut legere est apud Auentinum lib. 3. Annalium Boicorum, indeque quasi ex sparsis cineribus enatum hoc oppidum, quod hodie cernimus: Testatur id etiam rudera, quae proxima sylua spectatum exhibet, & in ipso oppido, ferunt superesse subterraneos specus ac forniceſ.

Fuisse verò tantam ciuitatem, quantam vulgus praedicat, maximam videlicet, amplissimam, & ferme ad Weissenkirchium vsq; extensam, haud adducar, ut credam.

I. Quia si tanta fuisset, plura eius passim eruderentur rudera, plures parietinae sese conspiciendas praebent, plura monumenta colonus vomere, vel fossor ligone deregeret; plura itidem sponte sua emergerent,

T
Primum quodq; et commoat
in turribus condit et asservari
conspicisse, planè facit illud
psalmi 124. fuit in die
turris tua, et abundantia in
turribus tuis.

gerent, quasi ab ipso ævo protrusa. Quis enim nescit spaciouissimas ciuitates, non posse ita aboleri, quin relinquuntur frequentia indicia, vt videre licet in aliis euersis ciuitatibus: nam Augusta Rauracorum seu Rauricorum, non procul ab hodierna Basilea, magna erat ciuitas, sed postea funditus deleta, & in exiguum pagum, cui *Augst* nomen, conuersa. Et tamen quid ruderum, quid fornicum, quid ædificiorum sub terra dirutorum & semidirutorum non comparet? Quid in super agricolæ & fossores quotidie non inueniunt? Consule Rhenanum lib. 3. rerum Germanicarum. Aliquid simile hîc fieri debebat, si Aureatum tanta ciuitas fuit. At in tota via, qua Nassenfelsio Weissenkirchium itur, quæ facies, quæ species euersæ quondam vrbis? Nec, vt audio, qui agros illos colunt, valde conqueruntur, nimis crebro ad rudera allisu & attritu, vomeres suos obtundi atque hebetari.

Accedit, quod ipse situs loci tantam Aureati amplitudinem, dissuadere videatur, vnde enim in hoc solo tot incolæ vitam tolerassent? An ex agricultura? At qui nam agri tantæ multitudini suffecissent? An ex militia? At fieri nequit, vt omnes militent. An ex mercatura? At nec omnes mercatores esse possunt; nec video quàm locus ille tantæ mercaturæ factitandæ idoneus fuerit; hostibus ex propinquo perpetim insidias tendentibus. An ex opificiis? Sed & hoc difficile creditu est.

Adde ad extremum, minores ciuitates longè esse aptiores pro præsiidiis & propugnaculis, quàm vastissimas & amplissimas vrbes: cum igitur Romanis *Aureatum* pro præsidio & propugnaculo fuerit, longè procliuus est credere, in mediocribus potius quàm in maximis ciuitatibus numerari debere.